

fuisse separatam nullo, modo concedimus. Id enim quod Johannes in nostro loco cum Chaldæo appellat gloriam Messia, illud Jesaias appellat ipsum Dominum, inquiens: *Vidi Dominum sedentem super solio, elevatum & exaltatum, cujus simbria repleverunt templum*; ex quo aperte sequitur, Jesaiam non solum gloriam, sed ipsum Dominum gloriosum vidisse. In sequenti versiculo 8. additur a Jesaia, se audivisse vocem Domini dicentis: *Quem mittam, & quis ibit nobis?* Ex quo sequitur manifeste, ipsum Dominum a Jesaia visum esse, & extitisse antequam incarnatus est. Visus est & intellectu Prophetæ spirituali cognitus, quantum Dominus per accommodationem sese ipsi manifestare voluit.

## § II.

Si vero manifestum est Esaiam vidisse gloriam Filii Dei, porro apparere videtur visionem Esaiæ similem fuisse isti Ezechielis, quæ cap. 1. 26. seqq. legitur. Refert ibi Ezechiel se lapidem saphiri vidisse, qui solii similitudinem habuerit, & super illa solii similitudine sedisse aliquem, qui speciem hominis referret &c. Tandem addit: *Hanc fuisse similitudinem gloriæ Domini.* LXX. *ομοιωμα της δοξης κυριου.* Quoniam vero teste Johanne, Esaias etiam vidit gloriam Domini, persvademur, eum similem splendidam & corruscantem gloriam, vel potius similitudinem gloriæ vidisse, qua oculis visa, mens Prophetæ spiritualis ipsam gloriam ejus cogitavit, quantum ea in intellectum divino lumine collustratum cadit, quia ipsa gloria oculo est invisibilis. Accedit quod plures circumstantias in utraque visione similes inveniamus, v. g. Uterque vidit solium, angelos ministrantes, qui se alis suis tegebant; insedit solio aliquis qui hominis adspectum referebat, & Johannes de Esaiâ testatur, quod gloriam Christi viderit. Inde non dubitamus gloriam Domini eadem Majestatis luce ex forma humani corporis resplendentem utrique esse visam.

B 2

§ 12.